

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3011

Autre(s) référence(s) : Round 725

Auteur(s) : Philippe de Carteret [particulier]

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1135

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Donation faite par Renaud de Carteret à l'abbaye du Mont St Michel de l'église de St Germain de Carteret et de la terre de l'aumône du Roi, qui appartient à St Germain en Jersey.

Ratification de cette donation par Philippe de Carteret, fils Renaud, en présence de Lucie, sa mère, et de ses frères Onfroy et Geoffroy. Il y ajoute la dîme de ses moulins et deux places en Jersey. La donation de Renaud faite en 1125 ; la ratification de Philippe en 1135.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Société jersiaise , *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 33, p. 50-51.

Texte établi d'après a

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Notum sit omnibus sancte Dei ecclesie filiis tam prelati quam subditis quod Ego Rainaldus de Cartret pro anime mee salute et antecessorum meorum obtuli Deo Sanctoque Michaeli Archangelo de Monte monachisque ibidem servientibus tempore Ricardi ejusdem loci abbatis ecclesiam Beati Germani de Cartraio cum omni decima tocius parrochie et cum terra de elemosina Regis que est Sancti Germani in Gerseio et cum decima bonorum domus mee. Actum est hoc donum anno ab incarnatione domini millesimo centesimo vigesimo quinto Ricardo presule in Constanciensi presidente ecclesia.

[1135.] Defuncto autem Rainaldo qui predictum donum fecerat Philipphus ejus filius quorundam malignorum hominum consilio corruptus donum quod ejus pater fecerat ipse concedere noluit sed pro posse suo subtraxit. Tandem Deo inspirante ipse Philipphus penituit et ad misericordiam Dei Sanctique Archangeli Michaelis donique Bernardi abbatis atque tocius capituli ejusdem loci corde compuncto veniam expeciit. Quadam vero die nullo cogente oracionis gracia ad montem Sancti Michaelis cum matre sua Lucia et fratribus suis Hunfredo et Gaufrido et quibusdam suis hominibus venit atque omnem donacionem elemosine quam illius pater concesserat ipse libere cum matre et fratribus suis reddidit atque concessit et insuper ex sua parte Philipphus hec adjunxit decimam videlicet molendinorum suorum et duas plateas terre in Gerseio extra curiam suam loco congruo et unam ad Cartraium similiter extra loco congruo et omnes terras elemosine Sancti Germani. Pro his etenim novis donis supradictis et pro mala consuetudine removenda et prorsus auferenda dedit predictus abbas Bernardus Philippho septem libras Rothomagensium nove monete matricque sue unum auri Bizanteum et Gaufrido fratri suo unum accipitrem et Hunfredo quasdam ocreas. Ut autem hoc donum quod in capitulum concessit et deinde cum matre et fratribus super Sancti Michaelis altare posuit firmum et stabile et inconvulsum permaneat istis videntibus et audientibus nomina

subternotare decrevimus. Illa vero mala consuetudo de qua superius mencionem fecimus hec erat quod non poterant decime collecte bladum ponere nisi in curia ipsius Philipphi ubi diminuebatur. Actum est autem hoc donum et ex parte Philipphi concessum presente et concedente Alvaro Constantiarum episcopo coram capitulo et clero anno ab incarnatione domini millesimo centesimo trigesimo quinto indictione quarta decima. S. Algari episcopi +. S. Radulfi Baiocensis decani +. S. Rogeri Archidiaconi +. S. Osberni cantoris (+). S. Gisleberti Archidiaconi +. S. Radulfi Archidiaconi +. S. Philipphi de Cartret +. S. Unfridi fratris ejus +. S. Aufridi fratris ejus +. S. Lucie matris eorum +. Ex parte ecclesie hi adfuerunt prior Exaquii, Johannes canonicus, Willelmus canonicus, Symon filius Johannis, Robertus papa, Symon de Cocto Bocco, Robertus Hausart, Ranulfus de Collevilla, Petrus clericus de Genecio, Thomas de Leiseus.